



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Io. Francisci Leonis Eporediensis I. V. D. Episcopi Thelesini Thesaurus Fori Ecclesiastici**

**Leoni, Giovanni Francesco**

**Coloniae Agrippinae, 1682**

31 Diabolo non maledicendum.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-10316**

ravit eos *Psal. 106*, & alibi. Ego autem ad Deum clamavi, & Dominus salvavit me *Psal. 54*, & in tribulatione dilatasti me, *Psal. 4*.

31 Ideo, ¶ non maledictionibus, aut excommunicationibus dicta animalia expelluntur, ut quamplures simplices, levesque homines falso credunt: cum nec Diabolum ipsum divini nominis, humanique generis hostem hujusmodi mucrone confodere liceat, precibus ad Deum jejunijs, eleemosynis, supplicationibus, lacrymis, ac sanctissimis Pœnitentiæ, & Eucharistiæ sacramentis, signo crucis, & aquæ benedictæ aspersione locustæ ipsæ, cæteraque hujusmodi pestes effugantur, ac pereunt, ut post Lipomanum *tom. 7*, quem citat, testatur *Majol. de admir. nat. reb. collog. 5. 8*, nemini illo tempore pag. mihi 246, vers. propterea. His principaliter medijs ubi fuere Vicarij, & officiales Episcopales Heduen. Lugdun. & Matiscon. in Gallia à Cassan. qui supra relati in *dicto cons. 1. par. 5. num. 127. & seq.*

32 Et in hoc ¶ optimè, sanctissimèque sentit religiosissima multisque nominibus memoranda Bononiæ civitas. Illa enim inter innumeratas urbis dotes, illustriaque illius reipublicæ ornamenta, quibus sibi, præ cæteris immortalitatem peperit, illum nunquam satis laudatum, ac multis sæculis commendandum morem amplecti est, ut calamitatibus afflicta, non ad execranda divinæ iræ flagella confugiat; sed aliud verius, præsentisque nastæ remedium, se precibus totam ad Dei numen placandum gemebunda convertat. Quod, ut breviori, ac faciliiori via assequatur, ad Divam Virginem parentem sibi amantissimam, advocatamque fidif-

simam nihil morata, procurrit, ad illius pedes projecta, procumbit, non illinc prius discessura, quam voti compos facta fuerit. Inde certa peti suffragia, illiusque numen supplicanti urbi semper adesse cives ipsi pluries cognoverunt apertissimaque inde subsidia fuerunt experti. Quare, ubi primum, vel ingruentium pluviarum inundatione, vel nimia celi siccitate terræ fruges laborant, aut alij cives siccitate affliguntur angustijs ad Divi Lucæ ædem in monte, qui Guardix appellatur; non longo itinere ab urbe sitam, pia quadam civium sodalitate Antistitis, civiumque omnium consensu, atque consilio se recipiunt. Inde thesaurum illud sacrum, ac memorabilem tabellam, scilicet, illam insignem, quæ imago Deiparæ Virginis ipsius D. Lucæ manu (ut historici tradunt) depicta cernitur, & quæ Constantinopoli, & sacrosancto Sophiæ templo, divino monitu, mirabiliter delata fuit, Bononiam, longo instructo agmine, deferunt. Cui adventanti Aariani, cæterique magistratus una cum clero, atque omnibus Religiosorum ordinibus ad portam, quæ Saragotia appellatur, occurrunt. Illius adventus civitas tota sic gestit, eaque fertur lætitia, ac si jam optata cives fuerint consecuti. Aded lætatur respublica, ut mœnia ipsa fenditis commoveri videantur. Sacra illa effigies apud Virgines D. Matthiæ honorificè collocatur. Interea publica indicitur supplicatio, ac per urbem solemnè pompa universo cleri, populi que comitatu ingenti honore sacrosancta circumfertur imago, quam sub pretiosa umbella, varijs margaritis, tot quibus, alijsque innumeris ex auro, & argento